μεν, ubi *ἀμαλδύνομεν* verius est et foede depravatum Ἀμαλαυρεῖ (pro Ἀμαλδύνει): *μαραίνει*, *σήπει*, *φθείρει*. Quod proprie apud Hippocratem dictum est *ὄμματα ἀμαλδύνεται* pro *ἀμυδρά ἐστι*, *μαραίνεται* percommode ostendit quomodo *ἀμαλδύνειν* figurate pro *διαφθείρειν* dici potuerit et quam bene *ἕστ' ἂν ὄμμα ἐξαμαλδυνθῇ* dictioni Euripideae conveniat. Additam praepositionem *ἐξ* neminem, qui Tragicorum eloquium bene noverit, arbitror esse miraturum.

C. G. Cobet.

MONITUM.

Absoluto feliciter Mnemosynes nostrae volumine hoc undecimo multa me admonent ut opus magni et perpetui laboris aliquamdiu intermittam, quod paene invitus facio, namque periucundum mihi opus hoc et dulcissima haec cura semper fuit, sed necessitati est obtemperandum. Itaque nunc omnibus qui Mnemosynen aut scribendo ornare aut legendo celebrare voluerunt ex animi sententia gratias agens valedico. Si mihi Deus vitam viresque suppeditare volet, defunctus aliquando negotiis curisque, quae nunc imminent, intermissam hanc operam lubentissimo animo instaurabo.

Scio esse quibus videar nimis acer et nonnumquam paulo asperius quaedam et quosdam reprehendere. Difficile est, si blandiri nescias, „*in scribendo semper tam esse facilem, moderatum et amicum, ut numquam postea aliquid mutatum velles,*" ut ad Eichstadium scripsit Peerlkampius meus. Caeterum pervelim Criticos et Philologos eodem animo meam assentari nescientis *παρρησίαν* accipere et ferre, quo ipse semper alienam acceperim et tulerim.

Scribebam
Lugduni-Batavorum
Calendis Octobribus
MDCCCLXII.

C. G. Cobet.